



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 65/08/I

BEATISSIME PATER,

Samuela Werbińska, Antistita Generalis Congregationis Sororum a Sancta Elisabetha Hungariae, filiales sensus suos et Consororum Sanctitati Tuae ex animo pandit et reverenter exponit:

Inter plurima caritatis et pietatis opera, quae Sorores a Sancta Elisabetha exercere consueverunt seu intendunt, illud praecipuum habent, ut egenis et infirmis opem et levamen afferant. Etenim, more et exemplo Sanctae Elisabethae, quae Marburgi in Germania in nosocomium se recepit, quod condiderat, paupertatem amplectens et in infirmos inopesque curandos se impendens ad ultimum usque spiritum vitae, Beata Maria Merkert, post matris mortem se quibusdam cum sociis adiumento dicavit domiciliari pauperum, aegrotorum et a societate segregatorum, pro quibus, simul cum Clara Wolf, piam Societatem seu Congregationem Religiosarum Sororum Sanctae Elisabethae viduae anno MDCCCLXII in urbe "Nysa", tunc in dioecesi Vratislaviensi, condidit, quae, per decretum episcopale anno MDCCCLIX est approbata.

Sub moderamine Beatae Mariae Merkert, Institutum multis crevit vocationibus multisque communitatibus diversis in dioecesibus. Itaque primum Summus Pontifex Beatus Pius IX, anno MDCCCLXXI, decretum laudis eidem tribuit deinde Leo Pp. XIII, v.m., anno MDCCCLXXXVII, decretum definitivae approbationis. Quin etiam Beatus Pius IX, quo Congregatio maiora in dies susciperet incrementa, plenarias atque partiales Indulgentias ab eius consororibus vel pro defunctis lucrandas, anno MDCCCLXIII in perpetuum largiter concessit.

Nunc Rev.ma Oratrix, una cum Consororibus, humiles preces Sanctitati Tuae admovet, ut hoc spiritale donum, ad normam Constitutionis Apostolicae "Indulgentiarum doctrina", renovare dignetur. Et Deus, etc.

**Die XXII Maii MMVIII
in Sollemnitate Ss. Corporis et Sanguinis Christi**

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis, *plenariam* libenter concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a Sororibus Congregationis Sanctae Elisabethae lucranda, dummodo, vere paenitentes, emiserint vel renovaverint, saltem privatim, promissionem fideliter explendi suae vocationis officia:



I.- Pro tota Congregatione:

- Die XIX Martii (S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg.),
- XXXI Maii vel II Iulii (in Visitatione B. Mariae Virg.),
- XXVIII Augusti (S. Augustini, episc. et Eccl. doct.),
- XXVI Septembris (Ss. Cosmeae et Damiani, mart.),
- XXVII Septembris (S. Vincentii a Paulo, presb., in anniversario Congregationis die),
- XXIX Septembris (Ss. Michaelis, Gabrielis et Raphaelis, Archang.),
- IV Octobris (S. Francisci Assisiensis),
- XIV Novembris (B. Mariae Merkert, fundatricis ac primae Superiorissae generalis Congregationis),
- XVII vel XIX Novembris (S. Elisabethae de Hungaria, relig.),
- XXVII Decembris (S. Ioannis Ap. et Ev.),
- in sollem. Sacramenti Cordis Iesu, cui Congregatio dedicata est,
- die festo Nostrae Dominae de perpetuo Succursu;
- occasione Capituli Generalis.

II. - Pro singulis Domibus:

- die festo Patroni principalis domus;
- diebus festis Sanctorum vel Beatorum, quorum ibidem servatur Corpus vel Reliquia insignis;
- in fine regularis visitationis.

III. - Pro singulis Sororibus:

- die ingressus in novitium;
- die primae professionis;
- die perpetuae professionis;
- in anniversario XXV, L, LX et LXXV primae professionis.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Iacobus Franciscus Card. Stafford
IACOBUS FRANCISCUS S. R. E. Card. STAFFORD
Paenitentarius Maior

+ Ioannes Franciscus Girotti, O.F.M. Conv.
+ Ioannes Franciscus Girotti, O. F. M. Conv.
Ep. Tit. Metensis, Regens

